



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XXII. De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

& terræ. Sunt opera tua bona valde,  
iudicia vera, & prouidentia tua regun-  
tur vniuersa. Laus ergo tibi & glo-  
ria, ô Patris Sapientia: te laudet & be-  
nedicat os meum, anima mea, & cun-  
cta creata simul.

## C A P. XXII.

*De recordatione multiplicium  
beneficiorum Dei.*

*Ps. 118.* 1 **A**PERI Domine cor meum in  
lege tua, & in præceptis tuis  
doce me ambulare. Da mihi intellige-  
re voluntatem tuam, & cum magna  
reuerentia ac diligentí consideratio-  
ne, beneficia tua, tam in generali  
quam in speciali memorari: ut dignè  
tibi ex hinc, valeam gratias refer-  
re. Verùm scio & confiteor, nec pro  
minimo puncto, me posse debitas  
gratiarum laudes persoluere. Minor  
ego sum, omnibus bonis mihi præ-  
stitis: & cùm tuam nobilitatem at-  
tendo, deficit præ magnitudine spi-  
ritus meus.

2 Omnia, quæ in anima habemus  
& corpore, & quæcumque exteriùs  
vel

vel interius , naturaliter vel super-naturaliter possidemus , tua sunt be-neficia , & te beneficium , pium ac bonum commendant , à quo bona cuncta accepimus. Etsi alius plura , alius pauciora accepit , omnia tamen tua sunt : & sine te , nec minimum potest haberi. Ille , qui maiora acce-pit , non potest merito suo gloriari , neque super alios extolli , nec mino-ri insultare : quia ille maior & me-lior , qui sibi minus adscribit , & in regratiando humilior est , atque de-uotior. Et qui omnibus viliorem se existimat , & indignorem se iudicat , aptior est ad percipienda maiora.

3 Qui autem pauciora accepit , contristari non debet ; nec indignan-ter ferre , neque ditiori inuidere : sed te potius attendere , & tuam bonita-tem maximè laudare , quod tam af-fluenter , tam gratis & libenter , sine personarum acceptione tua munera largiris. Omnia ex te , & ideo in om-nibus es laudandus. Tu scis , quid vnicuique donari expediat : & cur iste minus , & ille amplius habeat , non nostrum sed tuum est hoc dis-

4 Vnde Domine Deus, pro magno  
etiam reproto beneficio, non multa ha-  
bere, vnde exteriū & secundūm ho-  
mīnes, laus & gloria apparet: ita ut  
considerata quis paupertate & vili-  
tate personæ suæ, non modò grauita-  
tem, aut tristitiam, vel deiectionem  
inde concipiatur, sed potius consola-  
**Cor. i.** tionem & hilaritatem magnam: quia  
tu Deus pauperes & humiles, atque  
huic mundo despectos, tibi elegisti  
**Psal. 44** in familiares & domesticos. Testes  
sunt ipsi Apostoli tui, quos princi-  
pes super omnem terram constituisti.  
**1 Thes.** Fuerunt tamen sine querela conuer-  
**2.** sati in mundo, tam humiles & simpli-  
ces, sine omni malitia & dolo, vt  
**Act. 5.** etiam pati contumelias gauderent pro  
nomine tuo: & quæ mundus abhor-  
ret, ipsi amplectetur affectu magno.  
5 Nihil ergo amatorem tuum, &  
cognitorem beneficiorum tuorum, ita  
lætificare debet, sicut voluntas tua in  
eo, & beneplacitum æternæ disposi-  
tionis tuæ: de qua tantum contentari  
debet & consolari, vt ita libenter velit  
esse

esse minimus , sicut aliquis optaret esse maximus : & ita pacificus & contentus in nouissimo , sicut in loco primo: atque ita libenter despabilis & abiectus , nullius quoque nominis & famæ , sicut ceteris honorabilior & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui , omnia excedere debet: & plus eum consolari, magisque placere , quam omnia beneficia sibi data vel danda.

## C A P. XXIII.

*De quatuor, magnam importan-  
tibus pacem.*

**F**ILI, nunc docebo te viam pacis, & veræ libertatis. Fac Domine, quod dicis , quia hoc mihi gratum est audire. Stude fili, alterius potius facere voluntatem , quam tuam. Elige semper minùs , quam plus habere. Quære semper inferiorem locum, & omnibus subesse. Opta semper & ora, ut voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis.

2. Domine, sermo tuus iste breuis,

G 7 mul-

Matt.

26. ♂

Ioan. 5.

♂ 6.

I. Cor.

10.

Luc. 14

Matt. 6